



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Vita Et Rebus Gestis Christophori Bernardi Episcopi Et Principis Monasteriensis Decas**

**Alpen, Johann von**

**Coesfeldiae, 1694**

95. Partium utrinq[ue] obstinatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68495)



viam exceptionis de incompetencia declinato ) in 1666.  
 Curia Gelricâ nullâter lata, iniquis armis Dia-  
 cesi ereptam; justiore nunc armorum titulo,  
 post pronunciatam in Camera Imperiali sen-  
 tentiam, remq; judicatam, & executoriales sub  
 pœna banni decretas, recuperatam esse. Id  
 etiam privato licuisse, quantumvis intercurris-  
 sent anni quinquaginta. Spoliatus namq; Ca-  
 stro, cujus recuperatio sit difficilis, recuperet,  
 quocunq; illud tempore commodius possit. Id  
 quoq; contra Imperatorem & eos maxime, qui  
 superiorem non agnoscant, habere locum post  
 sexaginta etiam annos, constans sit Juris-consulto-  
 rum doctrina. Ut profecto injuriâ Principem  
 afficiat, quisquis recuperatâ nunc Borcu-  
 loâ, spoli nomine abutatur.

At ea tunc visa est temporum conditio, quæ  
 non tam rationibus, quam ratiociniis inten-  
 debat. Hollandis concepta jam pacis capita,  
 tot fœderibus & impendiis parta, moderari  
 detrectantibus, magnâ utriusque partis ob-  
 stinatione aliquamdiu certabatur. In duo-  
 bus ingens adhuc apparebat difficultas. Neu-  
 ter Borculoam dimittere paratus; & quam  
 militiæ imminutionem urgebant Batavi, Mo-  
 nasterienses recusabant. Ea partium utrin-  
 que pertinacia dies aliquot traxit. Wieden-  
 bruckius interim, ipsius Friderici Guilielmi &  
 aliorum suafu, cum diversorum Principum  
 Legatis Monasterium non semel excurrere  
 Zz 4 debuit,

95.  
 Partium  
 utrinq;  
 obstina-  
 tio.



1666.

*Multa  
stimu-  
lant  
C. Ber-  
nardus.*

*Tandem  
variorū  
Legatio-  
ne pax  
persua-  
detur.*

debut, ut Principem componerent ad eas sal-  
tem pacis leges, quas ipsi Principes amici, hac  
tempestate utilissimas judicarent. Verum  
Christophorus Bernardus, qui sibi nihil in-  
quum obtrudi patiebatur, agrè potuit in hanc  
ceterorum mentem adduci. Stimulabat fa-  
duciam exercitus, qualem antè Monasterien-  
sium Præfulum nemo, in [campum duxerat,  
hostibus si non superior, certè par. Et quæ  
major evaderet, firmatis tantisper adverso-  
rum Batavam urbibus, arcibusque suis, Lan-  
naburgicos primùm, dein Brandenburgicos, &  
utrumque seorsim, totis viribus aggredi an-  
mus erat, eorumque copias disturbare, prius  
quam Batavis unquam sociari, minùs auxilia-  
ri possent. Nec eam à se hostium, præse-  
tim vicinorum multitudinem timeri, ex qua  
tributorum campi dilatentur, magno augen-  
darum virium additamento. Sed & Cæsar,  
pluribusque Principibus, quin & ipsi Gallia-  
rum Regi, si præter spem suppressi se con-  
tingeret, imponi necessitatem, ut levarent.  
Et scire se, Sueciam haud alienam esse. In-  
ter ea mentis oblectamenta distracto Princi-  
pe, Caduceatores fatis coram notabant pro-  
curandæ pacis difficultatem. E contra de-  
mùm perpendi consideratiùs rogant. Et ho-  
profligari semel hostium copias, num pro-  
pterea exhausti sint Batavorum thesauri, vel  
ita vires accisæ, aut extenuatæ Confœderato-  
rum



rum ditiones, ut ex iis non possit brevi coalescere potentia longè major? Et neminem hodiè reperiri, quantumcunq̃ fautorem, qui vel remotè auxiliij quidquam ostentare aufit, aut velit. Ipsam in societate Britanniam promissæ opis, menstruique subsidij immemorem, certè noxiæ tarditatis inculari. Spem ex necessitate conceptam adeò debilem censerì, ut inter eam rerum humanarum varietatem, nemo prudens, relicta ancipite, viam non suadeat securiorem. Tandem igitur *Wiedenbruckio* postremum redeunte, in pacem Conciliatorum arbitrio concinnandam descendit, sed ea libertate, quam peritiores à necessitate vel coactione haud discernunt.

Vix ille *Clivos* pedem refert, dum nunciatur *Tempelius* Caroli Britanni Legatus adventare. Jussu mox *Christophori Bernardi*, armatorum facilè quindecim millia è vicinis præfidiis educuntur, & venienti Legato obviam procedunt. Eâ stipatus coronâ per *Dicecesin* ducitur. Et ipse Princeps horæ iter ab Urbe obvius, suâ exceptum sellâ, tantum inter comitatum, tormentorumque lateboantium fragorem, magnificè *Monasterium* introducit. Tam Legatus militem cum admiratione laudavit, quam fassus est, sensus experimento sibi jam constare, impensum haud otiosè subsidiarium æs Britannum. Ad-

1666.

96.

Legatus  
Angli-  
cus.Cum  
pompâ  
exceptus

Zz 5

ven-